

JEHOVA ADJUVANTE

Et

Ampliff. FACULT. PHIL. Aboënsi

Consentiente,

DISSERTATIONEM

PRO MORE CANDIDATORUM,

Habendam

De

CUSTODIA
MILITARI,

Occasione verborum A. & XII. v. 4. 6.

DIRIGENTE

VIRO CELEBERRIMO,

DN. ISR. I. N.

Eloqv. Rom. Prof. Ord.

Disceptationi publica submittit

JOHANNES ALOPÆUS, M.F.

Wiburg.

ABOÆ in Auditorio Superiori

die xv Februarii, Anno c|o|ccc|x.

Exc. Jo. WAL.

S. Æ R. Æ M. TIS

Maximæ Fidei VIRO;

Inclytæ Diœceseos Wiburgensis

EPISCOPO,

Consistorii Ecclesiastici

PRÆSIDI,

Gymnasii & Scholarum

EPHORO,

REVERENDISSIMO PATRI ac DOMINO;

DN. DAVIDI


Sund /

S. Theologiæ DOCTORI

Celeberrimo,

MÆCENATI MAXIMO.

REVERENDISSIME IN CHRISTO
PATER ac DOMINE.

icut mortalium negotia, fortuna
na ut plurimum verlat gra-
vior; ita ê re est Patronos ma-
gnos quærere circumspectius.
Hinc REVERENDISSIME PATER, cum ê
benignissimo Favoris Tui sinu, tot
pressis hæctenus, & detrimentorum
insultu quasi concussis orta sint sub-
sidia, ego etiam eo confidentius, Tan-
tum tamque certum afflictorum Mæ-
cenatem ac Patronum hoc specimine,
quod Tuo nomini sacrare audeo, ve-
neror, quo ardentius desideravero, ex
illorum numero esse, qui Tibi Mæ-
cenas maxime, de meliori nota com-
mendati sunt. D. O. M. terris Te diu
commodet, in insigne Patriæ ac Ec-
clesiæ ornamentum, quod perpetuo
vovet,

REVERENDISSIMI PATRIS,

Devotissimus Clientis

Joh. Alopæus. M. F..

VI
ADMODUM PLURI
& CLARISSI

DN. M. ARVIDO ALOPÆO,
Ecclesiarum Borgoënsium Pastori
& Præposito longè meritissimo, Pa-
tronò & Patruo, loco Parentis sub-
misse venerando.

DN. M. ERNEST. GESTRINIO,
Past. & Præp. in Jussis dignissimo
adcuratissimoque, Evergetæ optimo,
quibusvis obsequiis suspiciendo.

DN. GUSTAVO
Pastori designato in Pumala lau
semper benigno ita

Propter exempla præterita, quæ documenta
optimi confugio, & exercitationem hanc
cimina, cum voto calido, ut

Amplissimorum
Ve

Observantis

JOHANNES

R I S

MUMQUE REVERENDIS
MIS DOMINIS,

DN. MATTHIÆ MARTINIO,
Reg. Gymn. Wib S. Th. Lect. Celeber-
rimo, Consist. Eccl. Adles. prudentiss.
Past. & Præp. in Säckjârswi attentiss.
Promotori maximopere colendo.

DN. DN. MAG. Reg. Gymn. Wib. Phil.
LECTORIBUS Clarissimis, Consist. AD-
SESSORIBUS dexterrimis, Promotori-
bus & Fautoribus benignissimis,

O R R Æ O,

datissimo, Affini atque Fautori ut
maxime honorando.

sunt futurorum, ad favorem Vestrum PATRONI
Academicam, magna ob gratiæ Vestræ spe-
diutissime floreatis, D. D. D.

Nominum
strorum

simus cultor

ALOPÆUS. M. F.

Sibi Amicissimo;

Viro Juveni,

DN. JOHANNI ALOPÆO,

Philosophiæ Candidato dignissimo,

De

CARCERE PETRI

Solide disquirenti

Herodes populo cernens malefacta
placere,
Clavigerum cœli, in carceris an-
tra locat.

Sed DEUS Omnipotens hoc carcere li-
berat illum:

Herodes vero Vermibus esca fuit.

Vermibus hem! geminis; nam clavibus
ostia clausa

Petrinis, posthac nec referantur ei.

At quid tum Tecum fiet, qui carcere Petri

Lætari rupto? ceu labor hicce probat:

Quid nisi quod Petri Tibi claves ex-
hibeantur,

Quo fidis cœlos Tuque aperire queas.

Ita congratulatur

JOHANN Haartman.



LECTORI.



Ntequam CUSTODIAM MILITAREM in limine opusculi expressam examinare aggredior, à proposito non alienum existimo, si primum discussero censoriam severitatem, quam pacis magistram custodemque appellat Valer. M. (a) necessitatem poenarum in republica innuo, ut quoquomodo constet de argumento, nostro titulo jam affini. Non quidem absque rubore hæc Tibi L. B. apponere audeo, levi duntaxat brachio tractata, sed ut ut labiis delicatis dignæ hic non offeruntur lactucæ, favorem Tuum L. H. exspecto & non per-versas desidero exterebrationes.

A

SE-

(a) lib. 2. prol. cap. 9.

SECTIO PRIOR GENERALIS.

§. I.

Qui paullo attentius hominum ingenia dispiciunt, quos sua pravitas ab æqui rectique transversos egit tramite, proverbium hocce ingeminabunt: *nisi judicia essent, unus alterum devoraret.* (b) Quanquam enim nefas sit alteri nocere propter cognationem, quam natura inter homines esse voluerat, tamen quorundam cerebella, tanta contumacia labefactat atque ita sunt multi transformati vitiis, ut eorum perverla mens in bonorum perniciem sæviat, nec nisi nudam humani corporis speciem servare videantur; ita ut major sæpe ad nocendum, si non facultas, tamen proclivitas in homine quam in quovis brutorum deprehendatur; & ut canit poëta (c) *Vivitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus.*

N

(b) Puf. l. 2. c. 5. §. 7. de Off. H. & C.

(c) Ovid. Met. l. 1. v. 144. seq.

*Non socer à genero: fratrum quoque gratia
rara est.*

*Imminet exitio vir conjugis, illa mariti:
Filius ante diem patrios inquirit in annos:
Victa jacet pietas - - -*

Sed

*Longa mora est quantum noxa sit ubiq; repertū
Enumerare. (d)*

Nam etsi per congenitæ rationes lumen hominibus aliqua innotescant de voluntate summi rerum moderatoris, & de officiis, quæ ille a mortalibus exigit, mirum tamen in modum, in statu hoc corrupto, officia pietatis negliguntur: & ita quidem, ut

In facinus jurasse putes - - (e)

quippe qui, non dicam virtutis amore, sed nec spe quidem præmiorum, solo saltem metu pœnarum, sed nec hoc semper, intra æqui rectique cancellos se contineri patiuntur, minime sic de se probantes, quod Justinus olim inter laudes scytharum, speciosius an-

A 2

ve-

(d) *id. ibid. v. 114.* (e) *Ovid. lib. 1. Met. v. 243.*

verius recensuit: *Justitiam gentis ingenii cultam non legibus.* (f) & Sallust. (g) de Romanis: *jus bonumque apud eos, non legibus magis, quam naturâ, valebat.*

§. II.

Sicut autem sola *justitia* perpetuat *regna* & *civitates*, ut ait *Tyrtæus*, (b) ita ordinavit *DEUS* medium, summum scilicet imperium, quod libertati naturali contra-distinguitur, & leges quæ eandem promotum irent, ac humanæ fragilitati & in-constantia subvenirent. Constat enim, quod quoque *Aristoteles* ait: (c) *πάντα βέλτιον γίνεσθαι, κατὰ νόμον: ἢ κατ' ἀνθρώπων βέλησι;* *Omnia rectius lege fieri quam pro hominum voluntate.* Cum autem legis perfectæ, non una vis sit, *monstrandi* scilicet quid faciendum, quidve omittendum, nec saltem altera, *obligandi*, ut id facias aut omittas, nisi peccare velis: sed accedat quoque *tertia cogendi*, sive ut pœnam statuat eam-que

(f) *Justin* l. 2. c. 2. (g) *Bell. Catil.* p. 36.

(b) *in Imag. Symb.* p. 337. (c) *lib. 2. pol. c. 10.*

que à delinquentibus exigat ; (k) Hinc
 semper in bene moratis civitatibus, au-
 ctore Columella, (l) non satis visum est
 bonas leges habere, nisi custodes earum diligen-
 tissimos cives creassent, quos *νομοφύλακας*
Græci appellant. Horum erat officium, eos
 qui legibus parerent, laudibus prosequi, nec mi-
 nus honoribus: eos autem qui non parerent,
 pœnâ mulctare. Et huc coincidit sym-
 bolum Pont. M. Pii III, Hieroglypto ex-
 ponentis manum extensam, palmam
 & virgam tenentem, cum inscriptione:
pœna & præmium, h.e. ut Typotius p. 76 l.c.
 explicat: eadem manus pœnam & præ-
 mium offert, in nobis electio est; pal-
 ma enim præmii est simulacrum, vir-
 ga pœnæ argumentum. Ideo Bassano
 Sicambrorum Regi, cum prodiret in
 publicum, apparitor enses strictum fla-
 gro involutum anteferebat, terrori
 fontibus; in fontibus solatio. (m) Hinc in-

A 3

tro-

(k) Hornej. *Phil. Moral.* IV 3. 42. p. 618 (l)
 de *Agricult.* l. 13. c. 3. sub fin. (m) *Typot.*
 l. c. pag. 396.

introducito inter homines imperio, (n) hoc quoque imperantibus salus societatum attribuit, ut, ipsi, malo representato, malitiam subditorum coërcere queant, quo plures homines secure possint vivere. Nam Magistratui est potestas gladii quo recte & fortiter utatur. (o)

§. III.

Ut enim DEUS, salva veritate & iustitia sua, humanum genus, citra omnem satisfactionem, absolvere a culpa & in gratiam recipere non potest; (p) ita quoque voluit ille, poenas fontibus inflictas, esse spectacula iræ suæ, adversus peccata, ad defensionem iustitiæ & innocentie, & conservationem societatis civilis. (q) Hinc, si DEUS regat, si homines curet, necesse bene bonis sit, male malis, poenæque licet seræ, non tamen irritæ putentur. (r) atque iudex ille summus gladium & virgas de-

(n) Puf. lib. 2. c. 13. §. 5. de Off. H. & C.

(o) Typot. lib. cit. (p) Hulsem. brev.

c. 7. n. 3. (q) Cundis. in Hutt. loc. de Ma-

gistr. qv. 15. (r) C. Lund. in Zamols. c. 9. §. 4.

dedit diis his terrenis, ut punirent transgressores, ceu illud confirmat doctor gentium (/) de magistratu inquit: *οἱ εἰς γὰρ διάκονός ἐστιν ἕκαστος* *εἰς ὄργην τῷ τὸ κακὸν πράσσοντι*, indeque si partes sibi commissas illi neglexerint, abominationi sunt DEO, dum *impium absolunt & justum condemnant*; (t) audi-entque semel vulgare illud & verum: *Judex damnatur, cum reus absolvitur*; quam tamen sæpè eveniat, quod Phormio dicit apud Terentium: (u)

- - *Non rete accipitri tenditur neque milvio,
Qui male faciunt nobis; illis qui nihil faciunt,
tenditur.*

vel si Juvenalem mavis interpretem: (x) *Dat veniam corvis, vexat censura columbas*; At vero ad peccandum omnino ultro invitare videtur magistratus, qui malis, parem aut majorem causam præbuerit veniam sperandi, quam pœnam metuendi; plerumque enim, cui plus

(/) Rom. 13. v. 4. (t) Prov. 17. v. 15.

(u) Act. 2. sc. 2. (x) Sat. 2. 63.

licet, quam par est, plus vult quam licet (y)
Et

- - - - proclivior usus

In peiora datur, suadetque licentia luxum,
Illecebrisque effrena favel: tunc vivere casté
Asperius, cum prompta venus; tunc durius ire
Consultimus, cum pœna patet. (z)

Evanescente autem suppliciorum in re-
publica irrogatione, perturbatio vite, ma-
ximæque confusio, simul cum fidei & societa-
tis humani generis horrenda destructione, se-
quitur. (a) quin & imperante sic floren-
teque nequitia, virtus non solum præmiis
caret, verum etiam sceleratorum pedibus
subjecta calcatur, & in locum facinorum
supplicia luet, ut egregie dislerit Boëtius;
(b) Nam cum bonum malumque, item pœ-
na & premium, adversa fronte dissideant,
que in boni premio videmus accidere, ea-
dem necesse est in mali pœna contraria par-
te respondeant; (c) & ut medici expediunt
acria

(y) Publ. Syr. apud Macrob. Sat. 2.

7. (z) Claudian: 4 Cons. Hon. v. 262. seqq.

(a) C. Lund. in Zamolf. c. 9. §. 4. (b) lib.

de Cons. Phil. p. m. 292: (c) id. ib. p. m.

*acria si placida remedia; langueant; legisla-
tores si non possunt suffundere, effundant san-
guinem, (d) maxime, ubi quosdam jam
omnium malorum extrema nequitia,
non afficit modo, verum etiam vehe-
menter inficit; justum enim magistratum
DEUS justus tuetur, defendit ac gu-
bernat. (e) §. IV.*

Et est quoque æquissimum, si aliàs
vera beatitudo in Republica facta te-
ctaque obtineatur, ut malefici cohibe-
antur, daturi contumaciæ suæ pœnas,
quoniam æqui animi virtute, non pro-
terva temeritate vitæ salus continetur.
Et sane qui ita de tramite virtutis, in
vitiolorum anfractus sæpissime exorbi-
tant, *infeliciores sunt, injusta impunitate
donati, quam justa ultione puniti; (f)*
quippe habet pœna in mediis licet
& acerbissimis doloribus, boni tamen
aliquid annexum, hoc nempe, quod
ratione justitiæ bona sit.

B

§. v.

(d) *Typot. lib. cit. p. 43. (e) id. ib. p. m. 185.*

(f) *Bolt. de Cons. Ph. l. 4. p. m. 340.*

§. V.

Sed habet & castigatio alia com-
moda, ipsa licet videatur multis in-
commodissima; sistit enim in homine
illum peccandi pruritus, & ab itera-
tione facinoris etiam invitum retrahit;
nec semel depravatam mentem in semet
ipsam descendere jubet, *ιατρεια ψυχης*
proinde veteribus, non immerito di-
cta. Tum etiam *unius saepe pena me-
us est multorum*, (g) qui dum sic puni-
ri iniquitates vident, injustitiam ode-
rint; saltem matura rescissio morbidi
membri ad hoc conducit, *ne pars sin-
cera trabatur*; nam utique secundum
Poetam recentiorem:

*Tutius est ferro jam putrida membra rescindi;
Quam partis vitio totum tabescere corpus.* (h)
Pulcerrime itaque Piccarti judicio, Ale-
xander ab Alexandro expendit vetus
verbum Romanorum, de poenis usur-
pari

(g) Grot. lib. 2. c. 20. §. 9. n. 1. de J. B. & P.

(h) Guther. apud Clapmar. de Arcan.
Rerum publ. l. 6. c. 12.

pari solitum, *pœnas* inquiens, *latini animadversiones* appellarunt, negligi item non debent, ut qui peccarunt, animadvertant male se fecisse & in posterum ab injuria temperent; item ut & alij animadvertant, & exemplo eorum, in quos animadvertitur, ab injuria omni aut maleficio temperent. (i)

Quin & sociis semel injuria affectis, a metu alterius damni, injuriosi alicujus ultio, cavet ac securitatem præstat, proindeque uni noxio parcere, ut multis innoxiiis inde male sit, crudelis est misericordia. (k) Addimus & pœnam facinorosus paucis humanitus inflictam, à vindicta Divina sæpè liberare societatem integram; *justa enim rerum gubernatio, suis librata ponderibus, instar scopuli semper stabit, hostibus formidini, civibus quieti, sociis presidio.* (l) Præterea justo DEUS judicio mulctam quam neglexit judex, ipse exigit: tum vero

B2

Πολ-

(i) Piccart. comment. in Arist. Polit. l. 6. c. 8. p. 933. (k) Puff. de F.N. & G. l. 8. c. 3. §. 16. (l) Typot. lib. cit. p. 107.

Πολύκι ἔξυμπασα πόλις κακῶ ἀνδρῶς ἐπαυρεῖ,
ὅς τις ἀλιτράσει καὶ ἀτάσθαλα μηχανάσθαι.

(m) Et quid hoc mirum de DEO, quum integros populos, omiffæ in unum alterumve maleficum pœnæ, etiam hominibus non raro graviffimas dediffe pœnas, experientia loquatur. (n)

Tandem & pœnarum non denuncia-
tione fola, fed etiam irrogatione pru-
denti, legum, judicum, totiusq; omni-
no imperii civilis auctoritatem insigni-
ter corroborari, est in confeflo. Nam
ut est in proverbio: *Judicia sine execu-
tione, sunt campana similia, sine malleo, quæ
promittit quidem sonum, fed nullum edit:*
fic leges & judices crepant quidem pœnas,
*fed quando non mandantur executioni, ri-
dentur,* ut loc: cit. ait Politiff. Piccartus.

§. VI.

Singula fere complexus est Seneca,
ubi, *interest, inquit, reipublicæ, fevere exer-
ceri judicia, non modo ne crimina maneat
impunita, fed & ne, dum fertur vetus in-
juria, irritetur nova, ne in deſpectum item*
judi-

(m) Hesiod ἔργ. 238. (n) Vid. Liv. l. 5. c. 36 & 37.

*judicia veniant, ne denique ex Anacharsidis
sententia araneorum telis assimilari possint.*

(o) Quomodo autem venia quibusdam indulgeatur & quare executio omittatur, adducuntur causæ, circa quas, omnia ita refert examinare, ne in salutem publicam, & justitiam ipsam in portu impingatur.

§. VII,

Cum itaque injusti justâ non faciunt, nisi propter pœnam legi adjunctam, ut ante dictum, inde varia sceleratorum crimina, variis pœnarum generibus fuere vindicata; sed variant hi modi, plerumque apud gentes diversas, atq; ut mittamus nunc ea quæ de variis puniendi atque carceri includendi modis, apud Græcos congestit Pfeifferus Antiqu. Græc. lib. 2. cap. 24. & quâ alias gentes scriptores alii, nobis sufficiet nominasse Rosinum, qui in Antiqu. Rom. (p) ex auctoritate Tullii;

B3

octo

(o) *Sen. de ira l. 3. c. 38.* (p) *lib. 9. c. 17.*

octo pœnarum genera, apud Romanos, prodidisse Isidorum, refert: Nempe *Damnum, Vincula, Verbera, Talionem, Ignominiam, Exilium, Servitutem & Mortem.* Quarum alie bona laesunt, ut *damnum*: alie corpus, ut *vincula, verbera & talio*: alie jus, ut *ignominia, exilium, servitus*: alie vitam, ut *mors.* Quæ singula in sequentibus prolixius explicata & exposita, ibidem videre poterit, qui volet. Ad nostrum duntaxat institutum pertinet ea afferre, quæ laudatus Auctor de vinculis in specie observat, dicens: *Vinculorum nomine complexi sunt, cornpedes, pedicas, manicas, catenas, nervos, bojam & carcerem.* Quamvis alii eadem vincula appellent, *catapultas, canes, catulos, catellos, collaria, furcas, lora, vincula, amenta, laquea, ligamenta, numellas.* Non jam disputamus, an hæc ita distingui debeant & an carcer vinculi nomine, eo sensu, quo cetera dici possit, modos duntaxat præcipuos carcere puniendi apud Romanos, obiter recitasse contenti.

Viam nobis præivit Lipsius, in commentario super Tacitum dum occasione verborum lib. 6. ann. *Custoditurque domibus magistratum, ita dislerit: Præter carcerem & custodiam militarem, custodia alia duplex: apud Magistratus & apud Vades. Apud Magistratus, cum reus Consuli, Pratori, Ædili, interdum & senatori, etiam non è magistratu, committebatur h. e. cum apud Magistratus domi, aut apud privatos, nobiles ponebantur custodiendi, quod procul dubio fiebat ante confessionem, vel convictionem criminis, quodque non nisi in reis illustrioribus usurpatum, & ea custodia libera & liberalis, dicta. Sallustius Bell. Catil. p. m. 144 Senatus decernit ut abdicato magistratu, Lentulus itemque ceteri in liberis custodiis habeantur. Itaque Lentulus P. Lentulo Spintheri, qui tum Ædilis erat, Cethegus Q. Cornificio Stalio C. Casari, Gabinius M. Crasso, Cæparius (nam is paullo ante ex fuga retractus erat) Cn. Terentio senatori traduntur. Huc pertinet Ciceronis hoc in Bruto:*

Do-

Domi teneamus eam septam liberali custodia; item illud Julii Firmici: in custodia quandoque sed libera exponetur. Hanc autem liberam custodiam fuisse digniorum tantum, & plerumque Senatorum, præter jam allata, confirmat quoque Hieronymi isthoc in libro adversus Vigilantium, ubi de defunctis sanctis ita loquitur Pater inter alia: Senatorie dignitatis sunt, & non inter homicidas terrissimo carcere, sed in libera honestaque custodia, &c. recluduntur. Tom. II. oper. p. 122. Dio. lib. 58. de Asinio Gallo: hanc custodiam φυλακὴν ἄδεσμον vocat. i. e. liberam & sine vinculis. Custodia apud Vades erat, cum reus eorum periculo fidejussoribus tradebatur. Tacitus l. 5. ann. Nec aliud periclitantibus subsidii, quam in fratrum constantia fuit, qui vades extitere. Et eadem de re Sveton. Vitell. C. XI. Publius post præturæ honorem, inter Sejanæ consules arreptus, & in custodiam fratri datus.

§. IX.

Huic custodiæ apud vades, addit Ulpianus l. 1. de custodia reorum carcerem &

& custodiam militarem. De custodia reorum, inquiring, a *stimare* Proconsul solet, utrum in carcerem recipienda sit persona, an militi tradenda, an fidejussoribus committenda. Erat autem Romanis carcer triplex: Urbanus, Rusticus, & Castrensis. Urbanus ut sunt turres: Rusticus ut ergastula; Castrensis, quando captivi trabuntur catenati, uti quidem observat vetus Scholiastes ad Juven. sat. 6. 559.

Inde fides arti, sonuit si dextera ferro
 Levaque, si longo castrorum in carcere mansit.
 Sed vult Lipsius, & recte quidem, hæc notari distinctius: Nam in urbe ipsa, inquit, triplex ratio ad servandi captivos: aut enim in carcere habebantur, locoque concluso, sine ullo milite: ut fere servitia, & capita viliora; Aut in custodia militari: aut in adibus magistratum. Unde patet militarem custodiam non in castris modo obtinuisse, ut vult Scholiastes, sed & in urbe. Carcer autem, prout ergastulo & custodia militari opponitur, & intra urbem Romam requiritur, duplex erat, Publicus & Privatus. De carcere publico

(custodiam publicam vocat Tacitus) ita Calturnius Flaccus declam. 4. *Video carcerem publicum, saxis ingentibus structum, angustis foraminibus, tenuem lucis umbram recipientem, in hunc conjecti robur Tullianum prospiciunt.* Ita quidem locum illum exscripsit Demsterus ad Rosin: p. 1059. nisi forte legendum sit *Robur & Tullianum prospiciunt.* Nam ut ait Rosinus lib. IX. C. 31. p. 929. *Carceris due precipue partes fuere, Tullianum & Robur. Tullianum a Servio Tullio Rege est additum, de quo Sallustius, in Bell. Catilin. p. 172 Est in carcere locus quod Tullianum adpellatur, ubi paullum adfenderis ad levam circiter XII pedes, humi depressus. Eum muniunt undique parietes, atque insuper eamera lapideis fornicibus vincta: sed inculta tenebris, odore foeda, atque terribilis ejus facies.* cont. Serv. ad Æneid. vi. 574. Schol: Juven. Sat. III. 314. *Robur autem testante Festo, dictus est in carcere is locus, quo precipitabatur malefactorum genus, quod ante arcis robustis cludebatur.* vid: Pont. Prog. l. IV. c. 8. p. 841

& Soranus in Thesauro. *Ethic carcer Publicus* idem ille est, de quo Liv. lib. 1. *Ad terrorem incrementis audacia media urbe, imminentem foro carcerem adificavit, Ancus, scil. Martius.* Ad quem quoque respicit Juvenalis Sat. 3. v. 314.

Felices proavorum atavos: felicia dicas

Secula, quae quondam sub regibus atque Tribunis;

Viderunt uno contentam carcere Romam:

Ex quibus quoque liquet numerum domorum postmodum crevisse, quibus malefici inclusi, publicoque nomine adservati sunt. *Privatum* denique habebant *carcerem* Romani ut ex codice Theodosiano lib. 9. titul. 11. patet; observante Dem. ad Rosin. p. 1059.

SECTIO POST. SPECIALIS.

§. I.

Vocem *Custodia*, à *Custos* deductam esse nemini non liquet. Ceterum rationem & originem vocis *Custodis* indagantibus, subministrat illam Vossius in *Etym.*

dicitur; *Custos* à *curo* ut vult Perottus; vel etiam ex *con* & *adsto* quasi *coastes*, ut propriè sit *συμπαράστατης*. In diversam autem *custodie* significationem, ut magis instituto nostro necessariam, quoniam valde ambigua vox sit, latius & attentius videtur inquirendum. Significat enim 1. *Conservationem & reservationem* rei cujuscunque; Liv. l. 6. C. 1. *Litera una custodia fidelis rerum gestarum*. Curtius Lib. 6 C. 11. v. 6. *Et pecunia cujus custodia commissa sit &c.* quanquam illo in loco paullulum variant editores. Sumitur vocabulum 2. *Pro carcere*, ut, dum Cicero aliique dicunt; *Asservari in custodia, dare, tradere, includere in custodiam*. Flor. l. 1. c. 10. 7. *Una ex obsidibus Regi data, elapsa custodiam &c.* 3. *Concretive pro noxiis qui custodiuntur*, sic C. Plin. lib. 21. c. 3. *Inde eductam custodiam bibere iussit*. Suetonius de Fl. Domitiano C. XIV. *Nec nisi secreto atque solus plerasque custodias, receptisque in manu catenis, audiebat*. idem in Nerone c. 31. *Quorum operum perficiendorum gratia quot ubique essent*

essent custodie &c. in Calig. C. XXVII. Ex noxiis Taniandos adnotabit, & custodia-
rum seriem recognoscens, nullius inspecto elogio
&c. sic C: Plinius scribit Trajano lib. X. Ep. 30. Rogo Domine, consilio me regas
hesitantem, utrum per publicos civitatum
servos, quod usque adhuc factum, an per
milites, asservare custodias debeam; Cui
mox Trajanus respondit Ep. 31. Nihil
opus est, mi Secunde carissime ad conti-
nendas custodias, plures commilitones con-
verti. Senec. l. de Tranqu. C. II. p. 113. Pto-
lemæum Africæ Regem, Armenia Mithri-
datem, inter Cajanæ custodias vidimus.
Idem Ep. 5. Eadem catena & custodiam &
militem copulat. Paul. in sent. si pecunia
accepta miles custodiam dimiserit capite pu-
niendus est. Eodem plane modo, quo
Tutelam pro eo, qui est sub tutela, ut
dicit Auctor Priap. Carm. LXXVI. item
odium pro eo quem odio persequeris.
Justin. XI. 3. 10. Sic amor pro eo, quem
amamus, cura, pro eo, de quo curam
gerimus, notante Freinshemio in indi-

ce Justiniani in voc. *odium*. 4. Pro *custode* ipso, itidem *concretive*, sed *significatione*, *activa*, quomodo & *Tutela* pro *tutore* usurpat auctor Priap. Carm. XXXVI. & LXXIII. Sic *vigilia* pro *vigilibus*, *servitia* pro *servis*, *consilium* pro *consiliariis*, *auxilia* pro *militibus auxiliariis* & quæ sunt hujusmodi alia, diligentius recensita à Freinshemio in indice Flori, ad vocem *Dominatio*, & Vorstio, in de Latinit. falso Sulp. c. XXVII. p. 294. in hunc sensum Maro:

- - - - - *Noctem custodia ducit*

Insomnem ludo. Æneid. IX. 166.

Et Flor. l. 4. c. II. 10. *Incautiorem noctia custodiam.* Occurrit quoque civitate græcâ donata vox *custodias* eodem hoc significato apud Matthæum C. XXVII: 65. 66. & Cap. XXVIII. II. Notandum tamen exemplis jam citatis *custodiam* non singulariter de uno *custode*, accipi, sed *collective* de pluribus, integra nempe *custodum cohorte* & *caterva*, quam & *custodias portis ponere*, Hirtius dixit, in Bell. Afric. 5. De *Inspectione*, p
fia

fidiis tutelisque locorum & hominum. Cicer. ad Qv. Fratrem. Circumspiciendum diligenter ut in hac custodia provinciae, non te unum, sed omnes ministros imperii tui sociis & civibus, & reipubl. prestare videare. Nepos: In hoc fuit tum numero Miltiades, cui illa custodia credebatur, pontis scil. in vita Milt. III. 2. Q. Curtius l. V. c. i. v. 42. Idem Amyntas adduxerat quinquaginta principum Macedonia liberos adultos ad custodiam corporis. 6. Denique sumitur pro ipso custodiendi actu pœnali & carcerario, cujus modum epitheton adjectum indicat, ut dum dicitur, custodia publica, militaris, libera, &c. Et hæc significatio hujus est loci.

§. II.

Custodia militaris frequentissima, & Romæ & in provinciis, etiam in castris stativis erat carcer, cumque exercitus moveret, captivos catenâ trahebant, ejusq; modus, scribit Lipsius (a) erat ut is, qui in noxâ esset, catenam manui dextera alligatam haberet, quæ eadem militis sinistram

vin.

(a) *Excurs. in Ann. Tacit. L. III. lit. B. p. 511.*

vinciret, custodia ejus præfecti. Et erant hi ita alligati, ne ille res novas tentare posset, & hic capulo paratam dexteram, si usus ita posceret, haberet. Uti Demst. docet ad Rosin. p. 1051. L. Sen. satis apertè: (b) Sed quid refert, eadem custodia universos circumdedit alligatique sunt etiam, qui alligaverunt, nisi tu forte leviozem in sinistra catenam putes. Alibi: (c) Quemadmodum eadem catena & custodiam & militem copulat; ubi vocabulum custodia usurpatur pro ipso captivo, uti supra monitum. Apud Athenæum lib. V. C. II. extat; Romanorum imperator, Quintus Oppius in Pamphilia, deditus & in vincula conjectus, sequitur. Minlius autem Aquilius, qui consitatum gessit, & de Sicilia triumphavit, longâ nexus catenâ cum Bastarna quodam, procero cubitos quinque, pedes ab equite trahitur. Joseph. l. XVIII. 13. de captivo Agrippa rege dicit: Centurionem illi satis benignum appositum, & militem, cum quo vinciretur, humanum. Augustin. in Pl. CXXVIII. Ligantur

d.

(b) lib. de Tranq. c. 10 p. m. 94. (c) Epist. 5.

duo & mittuntur ad judicem, latro & col-
 ligatus; ille sceleratus, iste innocens, unâ
 catenâ ligantur, & longe sunt à sese. Addit
 Lipsius, duos saepe milites, uni reo datos,
 majori custodia; quod si non aliunde, sa-
 tis ex historia D. Petri, quæ Act. XII
 habetur, liquet: ita enim se habet tex-
 tus v. 6. τῆ νυκτὶ ἐκείνῃ ἦν ὁ Πέτρος κοι-
 μώμενος μετὰ δύο στρατιωτῶν, δεδεμένος ἀ-
 λύσεται δυσὶ. *Eadem nocte dormiebat Petrus
 inter duos milites duabus alligatus catenis.*
 scil. quarum unâ uni vinciebatur mi-
 litum, alterâ alteri. v. 4. Ei in carcerem
 conjecto custodes addidit, *quatuor qua-*
terniones militum, i.e. sexdecim milites.
 Fortasse per singulas vigilias noctis es-
 sent quatuor milites, qui perpetuam
 ejus custodiam agerent, ita ut duo sem-
 per ei adessent, eâdem catenâ cum eo
 vincti, duo reliqui januam servarent,
 ut illud exponunt Hamond. & Cleric.
 in notis super hunc locum. Act. XXI.
 v. 33: extat de Paulo: ὁ κιλίαρκος ἐπελά-
 βετο αὐτῶν, καὶ ἐκέλευσε δεθῆναι ἀλύσεσι δυσὶ.
Fussit duabus vinciri catenis i.e. a duobus

asservari militibus. Sic etiam intelligendum, quod de uno *custode*, quem Paulo adjunxit Centurio Romæ, habetur Act. XXVIII. 16. τῷ δὲ Πάულῳ ἐπετράπη μένειν καὶ ἑαυτὸν, σὺν τῷ Φυλάσσοντι αὐτὸν στρατιώτῃ. ita enim erat custos hic miles cum Paulo, ut mox ipse auditoribus, seque invitentibus dicere possit: ἕνεκεν γὰρ τῆς ἐλπίδος τῆς ἰσραήλ, τὴν ἄλυσιν γάουην περικείμεαι. v. 20. Hinc quoque est, quod ad vincula & catenam suam toties Apostolus provocat, decora videlicet & ornamenta sua in adventu Domini. Videantur præter loca jam laudata Act. XX. 23. C. XXVI. 29. Eph. III. 1. C. IV. 1. C. VI. 20. Phil. 1. 7, 13, 14, 16. Col. IV v. 3, 18. 2. Tim. I. 8. 16. C. II. 9. Philem. v. 1, 9, 10, 13. Hebr. X. 34.

§. III.

Ex hætenus dictis patet, 1. ad *custodiam militarem* pertinuisse, ut custodes reorum essent, non publici civitatum servi, alique ad curam & asservationem captivorum deligi & ordinari soliti homines, sed solum *milites*, unde

unde & præcipue huic *custodia*, ad differentiam ceterorum *militaris* nomen cessit 2. Quod in hâc *custodia* vinciretur *militi* non nisi una manus, eaque *libera*, ut in omnem eventum, liberam paratamque haberet dexteram: Reo autem vel una saltem constringeretur manus, & quidem *dextera*, vel majori etiam *custodiæ*, utraque. Dicebantur autem vincula illa manuum, *Manicae*, sicut pedum, *Pedicae*, unde Apulejus in *Florid.* p. 509. *Quid si manus manicis restringantur? quid si pedes pedicis coarctentur.* Meminit & Maro *Æneid.* II. 146. Item Plautus *Mostel.* A.V. sc. I.v.17. Nec enim aliud quicquam vel prius vel certius olim erat maleficis, quam dexteras ut ait Poëta, *insertare catenis*, *Stat.* lib. XII. *Thebaid.* v.470. Cujus quidem rei testimonia, magno numero congeffit Demsterus in *Rosin.* p. 1051. quibus addi poterit senis illud Phantasma, *quod xuribus compedes, manibus catenas gerebat quatiebatq;* apud *Plin.* I.VII *Epist.* 27. Quanquam vero ut & hoc addatur, non semper pro-

tenſæ manus captivorum conſtringe-
rentur catenis, ſed aliquando etiam,
brachiis retortis, poſt tergum vinci-
rentur, unde Horat. L. II. Epift 1.

Mox trahitur manibus Regum fortuna retortis.

Et Maro Æneid. Lib. II. 57.

Ecce manus juvenem interea poſt terga revinctū,

Paſtores magno ad Regem clamore trahabant;

Dardanide;

tamen in *cuſtodia* hâc *militari* niſi pro-
tenſas ſolum manus fuiſſe, infertas ma-
nicis, nuſquam legimus. Tandem &
hoc requirebatur, ut longiores eſſent
catenæ, ita ut cuſtos & cuſtodia com-
mode una ire poſſent, ceu ſupra dictum.

§. IV.

Ceterum III. de *Materia* horum *vin-
culorum* paucis quoque agendum. Con-
ſtat veteres pro dignitate captivorum,
judicumque ἐπιεικεία & indulgentia, ali-
isque nonnunquam de cauſis, vari-
aſſe manicarum materiem, hinc *Aurū*
quoque uſus in cuſtodia captivorum a-
pud gentes emanavit. Tertullianus de
habitu muliebri C. VII. *Apud Barbaros*
quos

quosdam, ait, quia vernaculum est aurum & copiosum, auro vincētos in ergastulis habent, & divitiis malos onerant, tanto locupletiores, quanto nocentiores; aliquando revera inventum, quomodo & aurum non amatur. Non video an hæc sententia de maleficis quibusvis, auro revinctis aut de gentibus aliis, quam Æthiopibus, accipi possit, de quibus Suidas voc. καιάδας, παρὰ Αἰθίοψιν οἱ κακῆργοι χρυσαῖς ἀλύσειν ἐδέξαντο, apud Æthiopes malefici aureis catenis vinciebantur. Nam apud alios populos hic honos solis Regibus, & ex Regia prognatis stirpe, datus est; de Persis id est satis manifestum: Justin. L. XI. c. 15. 1. Darius in gratiam victoris à cognatis suis aureis compedibus catenisque in vico Parthorum Ibera vincitur. Causam adponit Curtius hanc fuisse, ne honos Regi non haberetur L. V. C. 12. v. 20. Sic de Artaxerxe alibi Justinus: arcessitum, ad se fratrem, & innocentiam dissimulatione belli simulantem compedibus aureis vincit; Id vero ne familia regia honos non haberetur. Dicente in hunc locum Ber-

neggero. Ritu Trojano sive Græcanico, & quandoque etiam Romano, hanc honoris umbram Regibus ducibusque captivis obrigisse, testimoniis adductis, docet Cl. Demsterus in Ros. p. 1052. Similiter de *catenis argenteis* Ammianus, L. XVII. sub finem: *Regem Arfacem adhibitum in convivium, jussit ad latentem trahi posticum, effossis oculis, vinculum catenis argenteis, quod apud eos (Æthiopes,) honoratis vanum suppliciorum aestimatur esse solamen. Catenas ex ære Philistæis olim in usu fuisse ex historia Samsonis liquet, quem illi dicuntur vinxisse* כַּתְּנֵי בַרְזֵל *catenis æreis, LXX, ἐν πένδαυς καλκείοις. Judic. XVI. 21. At vero, licet vinculorum materies ita varietur apud singulos veterum: ferri tamen usum cunctis gentibus fere communem fuisse in custodiendis noxiis & captivis, probari facile posset, nisi in re manifesta, ista diligentia supervacanea videretur. Catenas quoque ad militarem custodiam adhiberi solitas, non alias quam ferreas, præter alia argumenta, vel unicum Juvenalis testi-*

testimonium, ante etiam adductum,
plus quam manifestè evincit, sic enim ille:

- - - *Sonuit si dextera ferro*

Levæque, si longo castrorum in carcere mansit.

§. V.

Reliquum est ut IV. quoque de *Fine custodia militaris*, nonnulla pro ratione instituti adferamus. Incarcerationis duplex plerumque finis spectatur, & à Magistratu intenditur, nempe vel ut sit mera *precautio*, ne aufugiat, vel suspectus, antequam convictus damnatusque fuerit, vel jam convictus damnatusque, donec executio sententiæ, ipsumque supplicium subsequatur: vel etiam, ut sit reo pro *pœna*, exempli gratia: cum quis æterno addicitur carceri, i.e. per totam vitam aut per certum annorum spatium, ad *metallum, remum, molam, vallum extruendum* & quæ sunt cetera opera, in pœnæ vicem maleficis injungi solita, damnatur, & catenis vincetus detinetur; aut denique certis diebus, hebdomadibus mensibusve, citra vincula & tormenta, solo pane & aqua
in

in carcere sustentatus. *Custodiam* autem *militarem* non pœnam, sed meram de captivo præcautionem fuisse, vel inde patet, quod eâ asservarentur homines causâ adhuc pendente, & apud judicem nondum transacta: pœnâ verò, ante probationem criminis, sententiamque rite latam pronunciatamque, joste nemo afficitur; hinc quoque, ut est contra legem naturalem, si reus antequam audiatur & condemnetur, plus mali per custodiam patiatur, quam ad eandem est necessarium, monente illustriss. Puffendorffio de J. N. & G. L. VIII. C. 3. §. 4. inde custodiâ militari, detentos tam indulgenter leniterque habitos fuisse, ceu ex ante dictis intelleximus, justitiæ Romanorum in laudem merito tribuitur. Ceterum quum pœnæ ratio ea sit, ut â voluntate delinquentis abhorreat: nemo quoq; vinculis lubenter & ultro constringatur, quin liberum se & solutum malit; Hinc incarcerationem quamvis, adeoque & *militarem* hanc nostram, si pœnam latiori sensu dicere quis discupiat, nec

nos omnino refragari possumus. Atque hæc hæcenus pro ingenii modulo, temporis quoque & Facultatum nostrarum mensura breviter dicta sunt. Quibus coronidem imposituri in hac tristi rerum facie & tot undique bellorum furore suspirantes ingemiscimus :

*O jam miseras respice terras,
 Quisquis rerum sædera necis.
 Operis tanti pars non vilis
 Homines, quatinus fortuna salo.
 Rapidos Rector comprime fluctus,
 Et quo cælum regis immensum,
 Firma stabileis sædere terras. (a)*

S. D. G.

(a) Boët. lib. I. Cons. Ph. p. m. 51.

Ad

PHILOSOPHIÆ CANDIDATUM

Clarissimum,

DN. JOHANNEM ALOPÆUM

Amicum & Fautorem æstimatissimum,

Gratulatio :

Plaudite Pierides, blandæ cantate sorores!
 Plaudat Pimpleidum castalidumq; chorus!
 Psallite Pegasides! scopulos jam vicerat altos,
 Et juga Parnassi Thespiadum Juvenis,

E

Jo.

JOHANNES Patriæ soboles ALOPÆUS, amandi
Egregios morcs propter, & artis opus,
Servi quo CHRISTI nunc lustrat vincula Peti
Queis ipsum injecit turba scelestâ male.
Ergo quod insanos terras hoc dogmate docto
Mentibus atque piis utile pendis opus:
Ipsa Tibi merito grates respública solvet,
Ipsa Tuum memori sparget in orbe decus.

Quam annexuit

MARTINUS MARTINIUS.

* * *

Dum doctè lustras firmissima vincula
sancti
Clavigeri, tantis cur non mea carmina jungam
Ausibus? ut meritis sint digna minus; ta-
men opto,
Pectoris ex antro voveoq; precoraq; Potentem:
Quo laurum obtineas contextum Palladis
arte
Sidere felici, Patriæque Tibique Tuisque
Gratum: sic tandem, sistaris & incola cæli.

Oblequii & necessitudinis er-
gò apposuit

JOH. SAM ALOPÆUS.

